

nem. Tandem partes potentiales nuncupantur eae virtutes adjunctae quae ad quosdam secundarios alicujus virtutis cardinalis actus vel materias ordinantur, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis. Ita potentiales partes prudentiae sunt *enbulia*, quae est circa *consilium*, *synesis*, quae est circa *judicium* eorum quae secundum regulas communes fiunt, et *gnome*, quae est circa *judicium* eorum in quibus oportet quandoque a communi lege recedere, dum prudentia est circa actum principalem qui est *praecipere*.

### § 1. DE PRUDENTIA.

**245.** Prudentia a S. Thoma (2. 2. q. 47. a. 1), post Aristotelem, definitur: Recta ratio agibilium. Eadem fusius a Lessio (de Just. et J. l. 1. c. 1. n. 1) describitur: virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus quid honestum sit, quid turpe. Igitur prudentiae actus est essentialiter in intellectu: sub quo respectu eadem virtus prorsus differt a ceteris virtutibus moralibus, quarum actus essentialiter sunt in voluntate. Prudentia tamen merito connumeratur virtutibus moralibus ratione materiae, quia tota versatur in consideratione et directione morum. (1. 2. q. 58. a. 3. ad 1)

Quicumque peccat prudentiam violat: quia omne peccatum est contra iudicium prudentiae, sicut omne opus bonum est secundum iudicium prudentiae. Speciatim vero contra prudentiam peccatur:

#### I. Per defectum, quadrupliciter:

1<sup>o</sup> *Praecipitatione*, quae, proposito aliquo fine, statim opus aggreditur, vel certe iudicat de mediis et modo exsequendi, ommissa deliberatione quam prudentia de iisdem praemitti jubet.

2<sup>o</sup> *Inconsideratione*, quae iudicat ommissa diligenti inspectione rei et circumstantiarum quam prudentia praemitti jubet.

3<sup>o</sup> *Inconstantia*, qua, sine ulla vel saltem justa causa, mutatur sententia, dum prudentia jubet rebus deliberatis et iudicatis inhaerere donec justa recedendi causa detur.

4<sup>o</sup> *Neglegentia*, qua omittitur diligentia requisita in actu intellectus excitantis et dirigentis voluntatem et vires externas ad executionem. Per se hi defectus veniales sunt, per accidens quandoque mortales evadunt, ut puta si quis inconsideratione sua se proximo peccati mortalis periculo obijciat, si quis inconstans sit in voto magni momenti exsequendo, etc.

II. Per excessum, vel potius sub quadam specie et imagine prudentiae, sed modis:

1<sup>o</sup> *Prudentia carnis* (Rom. VIII, 6), quae excogitat idonea media ad complenda opera carnis, ea scil. opera quae ad mere temporalem felicitatem assequendam juvant. Haec non est peccaminosa nisi ratione pravi affectus cui subest: quare venialis vel mortalis erit prout intentio a qua imperatur leviter vel graviter culpabilis est.

2<sup>o</sup> *Astutia*, seu notitia pravorum mediorum ad fallendum idoneorum, cum exsequendi affectu conjuncta. Haec quasi species est prudentiae carnis, et ad grave peccatum pertingit tantum quando graviter malus est affectus cui subest, vel quando grave proximi nocumentum intenditur.

3<sup>o</sup> *Dolo*, qui nihil aliud est nisi executio astutiae per verba vel facta.

4<sup>o</sup> *Fraude*, quae pariter est executio astutiae, sed per sola facta.

5<sup>o</sup> *Sollicitudine temporalium*, seu nimia occupatione mentis in iis conquirendis vel conservandis, orta ex inordinato eadem habendi amore vel amittendi timore.

6<sup>o</sup> *Sollicitudine futurorum*, seu nimia occupatione animi circa futura, maxime ut vitae necessaria habeantur, conjuncta cum anxietate et parva fiducia. Haec species est sollicitudinis temporalium. Ambae maxime nocent saluti: tum quia continent cupiditatem, quae radix omnium malorum est (1 Tim. VI, 10), tum quia animum impediunt a seria cogitatione rerum ad salutem pertinentium. Cfr. Matth. VI, 25-34. Neutra tamen gravis est, nisi quis propter temporalia violet vel paratus sit violare aliquod praeceptum in re gravi.

### § 2. DE JUSTITIA.

**246.** Justitiae notionem et multiplicia officia exponemus in tractatu de Justitia et Jure, qui totus in iis versatur.

Ad justitiam, tamquam ejus partes potentiales, referuntur multae aliae virtutes. Hae omnes, cum hac virtute cardinali, in eo conveniunt quod sunt ad alterum (Deum, proximum). A perfecta autem ratione justitiae non omnes eodem modo deficiunt. Vid. haec ratio in eo est ut alteri reddatur quod ei debetur secundum aequalitatem (n. 461 seqq.). Dupliciter ergo aliqua virtus ad alterum existens, a ratione justitiae deficere potest: uno modo, in quantum deficit a ratione aequalis; altero modo, in quantum deficit a ratione debiti. Sunt enim quaedam virtutes quae debitum quidem alteri reddunt, sed non possunt reddere aequale. Talis est religio: nam quidquid ab homine Deo redditur, debitum est, non tamen potest esse aequale, ut scil. tantum homo ei reddat quantum debet. Aliae vero virtutes sunt quae possunt reddere aequale, sed in quibus debitum est adeo parvum ut non inducat obligationem legalem et strictam, sed solum moralem, quae ex quadam honestate virtutis

procedit estque talis ut, nisi illi satisfiat, honestas morum conservari non possit vel non commode et decore possit. (2. 2. q. 80, a. un.; Lessius, l. 2. c. 46) Legalis autem obligatio in eo est quod is cui aliquid debetur, id ab altero exigere potest stricte et quasi lege imposita.

**247.** Inter virtutes justitiae adnexas in quibus adest debitum legale, primum locum tenet religio. Haec enim est justitia quaedam creaturae ad Deum, qua debitus cultus et honor Creatori persolvuntur. De religionis natura et officiis potissimum agemus in explicandis primo et secundo Decalogi praeceptis. Cfr. n. 255 seqq.

Praeterea in eadem virtutum serie reponi solent :

1<sup>o</sup> *Pietas*. Hac virtute primario colimus parentes tamquam vitae et educationis nobis secundum Deum auctores; secundo, reliquos consanguineos, tamquam nobis conjunctos vinculo simili ei quo cum parentibus devincimur, et patriam, tamquam opportuna ad ortum educationemque suggerentem.

2<sup>o</sup> *Observantia*. Haec virtus est qua cultum deferimus Superioribus et aliis personis excellentibus quae nos gubernant vel gubernare idoneae sunt. Officia e pietate et observantia oriunda potissimum explicantur ubi de quarto Decalogi praecepto.

3<sup>o</sup> *Oboedientia*, quae pars est observantiae. Duplex autem distinguitur oboedientia : materialis et formalis. Materialis ea est qua impletur Superioris praeceptum e quolibet motivo honesto; formalis (quae sola virtutem specialem constituit) dicitur tantum quando subditus ad implendum praeceptum movetur speciali honestate quae in implendo Superioris jussu relucet. Ex universali praxi manifestum est sufficere ut subditus quilibet materialem oboedientiam Superiori praecipienti praestet. Ratio est, quod intentio illa quae per formalem oboedientiam executioni superadditur, minime necessaria est ut haec constituat virtutis actum; immo irrationabiliter praecipere Superior ut subditus hac ratione formali ducatur potius quam alia perfectiori, ut puta motivo caritatis. Notasse juvabit proprie non reperiri oboedientiae virtutem in habitu quo subditus exsequatur quamlibet honestam Superioris sui voluntatem, sine ullo vero praecepto manifestatam. Latiori tamen sensu idem habitus merito vocari solet oboedientia, et quidem perfectissima. Etenim, cum oboedientia versetur circa voluntatem Superioris exsequendam, ille perfectissime oboediens dicendus est qui eam voluntatem tanti facit ut eam qualitercumque sibi notam, et in omnibus licitis, totis viribus exsequatur; quapropter etiam tutissimus erit ab eadem voluntate transgredienda ubi cum stricto praecepto conjuncta erit. (Sanch. in Dec. l. 6. c. 2. n. 3.; Suar. de Relig. tr. 10. l. c. 14. n. 15 seqq.)

**248.** Virtutes quibus moralis tantum obligatio inducitur sunt praesertim sequentes :

1<sup>o</sup> *Gratitudo* : quae respicit debitum ex accepto beneficio natum et, ut illi aliquo modo satisfiat, rependit aliquid benefactori, puta actionem gratiarum, obsequium, cultum vel aliud beneficium. (Lessius, l. c. c. 47. n. 1) Haec tamen non videtur esse specialis virtus nisi respiciat debitum e beneficio privati benefactoris oriundum. Quando enim respicit beneficia accepta a Deo, parentibus vel Superioribus, probabilius non est habitus distinctus a religione, pietate et observantia. (2. 2. q. 106. a. 1) Duplex autem distinguitur ingratitude : formalis et materialis. Formalis in eo est quod beneficium vel benefactoris animus contemnitur, puta si quis alterutrum elevet vel sinistre interpretetur, ne videatur aliquid debere benefactori, etc. Haec ingratitude ex genere suo est grave peccatum : quia involvit iudicium temerarium, dum falso iudicatur affectum simulatum esse vel rem alio quam benevolo animo dari, immo magis hac ingratitude quam iudicio temerario homines offendi solent. Venialis tamen fit ob imperfectum consensum vel materiae parvitatem, puta si beneficium sit parvum. Materialis ingratitude in eo est quod, absque contemptu, vel omittitur debitum gratitudinis officium, puta reverentia et honor, vel committitur aliquid contra benefactorem. In ea datur leve peccatum, quia negligitur quod ordo naturalis erga benefactorem postulat; mortale peccatum in ea non nisi per accidens reperiretur, nimirum si caritas sub gravi postularet ut benefactori in necessitate versanti subsidium ferretur. (S. Th. 2. 2. q. 107. a. 3; Lessius, l. c. n. 17 seqq.)

2<sup>o</sup> *Vindicatio*, qua inclinamur ad reddendum malefactori poenam pro injuria debitam. Sed servandus est modus ordine rationis praescriptus : qui est ut vindicta, saltem in poenis non minimis (n. 228), auctoritati publicae reservetur. Igitur privati cives malefactoris punitionem appetere non debent nisi per auctoritatem publicam. Immo laudabiliter eam omittunt ob altiores fines, puta ad imitandum Christum inimicis suis ignoscentem, nisi quando bonum commune eam fieri postulet. In personis publicis haec vindicatio plerumque pertinet ad alias virtutes, praesertim ad justitiam commutativam, legalem vel distributivam. (n. 462)

3<sup>o</sup> *Veracitas*, seu, ut dicere solent antiquiores (2. 2. q. 109) *veritas*, qua inclinamur ad conformitatem inducendam inter mentem nostram et signa quibus utimur ad aliquid proximo significandum, quales sunt scriptura, sermo, gestus. Huic opponitur imprimis mendacium, de quo dicitur n. 413 seqq.; deinde simulatio seu mendacium in exteriorum factorum signis consistens, et hypocrisis qua quis simulat se ornari virtutibus quibus caret. Malitia utriusque facile ex iis quae de mendacio dicentur erui potest. De hypocrisi advertere juvat eam per se esse

venialem perinde ac mendacium. Mortalis tamen evadit dupliciter :  
*a*) ratione finis graviter mali qui per eam intenditur, puta ad falsam doctrinam sub virtutis specie disseminandam vel ad obtinendam dignitatem ecclesiasticam qua quis omnino indignus sit ; — *b*) ratione contemptus sanctitatis vel religionis, qui saepe cum hypocrisi conjunctus est. (Lessius, l. c. n. 46)

4<sup>o</sup> *Affabilitas*. Haec virtus efficit ut conversatio nostra cum proximo in rebus seriis sit grata et talis qualem esse decet, spectatis conditione nostra, persona quacum agimus, negotio et reliquis circumstantiis. Dupliciter contra hanc virtutem peccatur : adulatione, qua quis nimium studet blandus esse et gratus, ideoque omnia probat, omnia laudat ; morositate, qua quis nimis parum studet placere et ubique se difficilem exhibet. Uterque defectus per se venialis est. (Lessius, l. c. n. 47 seqq.)

5<sup>o</sup> *Liberalitas*. Haec moderatur affectum pecuniae et quarumlibet rerum pretio aestimabilium, ac reddit nos faciles et promptos ad eas expendendas quando ratio id dictat. Huic virtuti opponuntur avaritia (de qua n. 178) et profusio. Dupliciter adversatur liberalitati profusio : tum defectu in bonis fortunae conservandis, tum excessu in iis erogandis. Neutro modo per se veniale peccatum excedit : nam per eam violatur tantum ordo ratione praestitutus in servandis erogandisque iis bonis quae dignitate omnibus cedunt. Sed non raro peccatum mortale eidem conjungitur, ut puta quia per profusionem homo se imparem facit solvendis debitis, vel malas artes ad pecuniam corrogandam adhibere cogitur dum nimias expensas producere cupit. (Lessius, l. c. n. 62)

6<sup>o</sup> *Misericordia*. Haec inclinatur ad succurrendum proximo in necessitate spirituali vel corporali posito. De ejus officiis dictum est Sect. III. c. 2.

### § 3. DE FORTITUDINE.

249. Fortitudo est virtus quae motus animi in rebus terribilibus, praesertim periculis mortis, sustinendis vel repellendis moderatur. (Lessius, l. 3. c. 1. n. 11)

Sic definita, virtus specialis est et distincta ab illa fortitudine seu firmitate animi in bono honesto quae unicuique virtuti perfectae inest. Etenim in periculis mortis aliisque maxime terribilibus peculiaris difficultas inest ut quis decore et e rationis norma interius exteriusque se gerat. Quare etiam opus est speciali virtute quae nos in iis adjunctis dirigat et juvet. Hinc apparet proprium actum virtutis fortitudinis tunc tantum elici cum ob motivum ejus formale, vid. ob amorem illius boni quod in fortitudine reperitur, mala terribilia sustinemus vel repellimus.

Quodsi pericula maxima decore adimus ex amore parentum, patriae, fidei, etc., proprie elicimus actus pietatis, justitiae legalis, fidei, etc. Atamen ex usu passim, tum apud veteres, tum apud recentiores recepto, fortitudo non solet tam artis limitibus circumscribi, sed fortis dicitur quicumque ex quavis causa honesta opus fortitudinis praestat. Numquam tamen fortes dici possunt qui pericula etiam mortis aggrediuntur vel sustinent inhoneste, ex. gr. latrones, duellantes, etc. Repugnat enim virtuti materia inhonesta. Quare hujusmodi homines non sunt dicendi fortes, sed temerarii, feroces, etc.

Virtus fortitudinis efficit ut homo medium teneat inter duo extrema in quae pronum est labi eum qui maximis periculis obicitur, vid. ingentem timorem quo excitemur ad mali fugam, et nimiam audaciam qua ad pericula temere adeunda stimulemur : quae duo extrema, ut recte advertit Lessius (l. c. n. 3), alternantibus motibus animum vera fortitudine carentem pulsant et velut inter se configunt.

Hinc facile patet quae vitia opponantur fortitudini. Per defectum opponitur *timiditas* seu *ignavia* ; per excessum opponuntur *intimiditas* et *audacia*.

Timiditas est vitium quo homo excedit in timendo et deficit in audendo, vid. quia timet quod non oportet vel quo modo non oportet vel plus quam oportet, aut non audet aggredi quando et sicut ratio dictat. Hoc vitium non nisi per accidens ad grave peccatum pertingere potest, nimirum si quis ad evadenda pericula mortis paratus sit aliquid facere vel omittere quod sine peccato mortali fieri vel omitti nequeat. (1)

Intimiditas est vitium quo homo deficit in justo timore concipiendo, ex vitae contemptu, superbia vel animi stoliditate. Nam ad fortitudinem spectat quandoque timorem excitare ut homo malum declinet quod vires ejus superet, puta naufragium vel vis hostium longe superior, neque ob justam causam adeundum sit. Tandem audacia seu temeritas est excessus in audendo et aggrediendo, cum quis, ut malum imminens avertat, aggreditur aliquid quod non convenit, vel quando non convenit, vel quo modo non convenit : quod vitium plerumque e vanae gloriae cupiditate oritur. Utriusque vitii reatus, praesertim ubi ad graviora progreditur, patebit e dicendis de quinto Decalogi praecepto.

250. Praecipuae virtutes fortitudini adnexae sunt : magnanimitas, patientia et perseverantia. Hae erunt partes fortitudinis integrantes, si versabuntur circa mortis pericula ; potentiales, si exercebuntur in superandis periculis minoribus.

(1) Opus praestantissimum fortitudinis est martyrium : de quo suo jure agunt Dogmatici, cum argumentum sit prorsus speculativum.

1<sup>o</sup> *Magnanimitas* est virtus quae ad magna et heroica in omni virtutum genere inclinatur. Ut proprie actus magnanimitatis exerceatur, necesse est ut homo in magna et heroica feratur, non quia in illis elucet peculiaris honestas hujus vel illius virtutis, puta religionis vel abstinentiae, sed ob motivum distinctum a reliquarum virtutum motivis, vid. quia hujusmodi opera, utpote magna et ardua, consentanea sunt animo magno et generoso, magnis gratiae praesidiis adjuvato, magna rerum caelestium cognitione instructo, magnis praemiis illecto, magnis exemplis provocato. (Lessius, c. 2. n. 6) Ab ea virtute inadaequate tantum distingui videtur *magnificentia*, cujus est magnis sumptibus in externa materia aliquid magni efficere, quando ratio id postulat, puta in exstruendis templis, nosocomiis, etc. Magnanimitati adversantur: praesumptio, ambitio, inanis gloria, pusillanimitas, de quibus dictum est n. 177.

2<sup>o</sup> *Patientia* est virtus quae animum adversus mala hujus vitae firmat. Ejus proprium est tristitiam, quam mala ista in animo gignere solent, vel penitus comprimere, vel ita moderari ut rationem plane sui compotem relinquat, neque reliquas virtutes in officiis suis impediatur. Ut formaliter exerceatur virtus patientiae, necesse est ut homo in hanc moderationem incumbat, propter specialem honestatem quae elucet in hac interna et externa moderatione inter mala praesentia. Usu tamen communiter recepto, etiam ille dicitur patiens qui eandem moderationem exercet ductus motivo alius virtutis quae per tristitiam et afflictionem oppugnetur, quamvis iste proprie et formaliter exerceat actum illius virtutis ob cujus amorem resistat iis quae eandem impugnent. A virtute patientiae inadaequate tantum distinguitur *longanimitas*, quae animum firmat adversus malum aliquod determinatum, vid. adversus molestiam quae e rei expectatae dilatione percipitur. Patientiae per defectum opponitur *insensibilitas*, ob quam homo nullis suis vel proximi malis tangatur: quod signum est brutae stoliditatis vel inhumanae duritiei. Eidem per excessum adversatur *impatientia*, qua quis dolore victus aliquid mali facit, puta dum transgreditur limites quos ratio ponit in dolore manifestando. Per se haec vitia veniale peccatum non excedunt; impatientiam tamen saepe ducere ad gravia, puta blasphemias, vulnerationes, etc. notissimum est.

3<sup>o</sup> *Perseverantia* est virtus qua quis bonum opus prosequitur quamdiu recta ratio id postulat. Ut eadem formaliter exerceatur, necesse est ut quis perseveret ductus speciali honestate quae relucet in bono opere prosequendo usque ad finem ratione praestitutum, victis taedio et molestia quae e diurnitate obrepere solent. Juxta S. Thomam (2. 2. q. 137. a. 3), a perseverantia eatenus differt *constantia*, quatenus haec facit hominem firmiter consistere in bono contra difficultatem quae provenit ex ipsa diurnitate actus, illa vero idem efficit contra difficul-

tatem quae provenit e quibuscumque aliis exterioribus impedimentis. Haec tamen distinctio, prout observat Lessius (l. c. n. 48), neque ab AA. neque vulgo servari solet: quare praestat duas istas voces velut duo ejusdem virtutis nomina promiscue usurpare. Perseverantiae per excessum opponitur *pertinacia*, per defectum *inconstantia* seu animi mollities. Pertinacia in eo est quod quis manet firmus in agendi vel sentiendi proposito, ubi non oportet vel plus quam oportet. Peccatum pertinaciae erit grave vel leve pro ratione materiae: sic grave foret nolle retractare opinionem ab Ecclesia damnatam. Inconstantiae vitium in eo est quod quis facile recedit a bono propter aliquas molestias non ita graves ut eas suslinere non posset. (2. 2. q. 139. a. 1) Hujusmodi recessus a proposito erit mortalis si quis sub gravi tenebatur perseverare, puta ob votum in religione emissum; levis, si tenebatur sub levi. Quod si nulla erat obligatio perseverandi, nullum per se peccatum erit in deserendo proposito; per accidens peccabitur, si talis mutatio fit ex aliqua inordinata passione. (Lessius, l. c. n. 49)

#### § 4. DE TEMPERANTIA.

251. Temperantia, prout quartam e virtutibus cardinalibus designat, est virtus quae refrenat appetitum in iis quae maxime alliciunt, vid. in voluptatibus gustus et tactus, seu in usu alimentorum et venereorum. Versatur ergo primario in moderandis his delectationibus quae vehementissimae sunt et longissime a ratione abducunt, secundario tamen etiam in moderanda oblectatione aliorum sensuum, nimirum quatenus horum objecta ad voluptatem gustus vel tactus, mediante imaginatione, incitant. Moderatur autem temperantia non solum externum harum delectationum usum, sed etiam internos affectus, ut vid. eas tantum desideremus quantum, qualiter, ubi, quando et quo modo oportet. Quae sit temperantiae mensura in cibo et potu, dictum est n. 180. Quae vero servanda sit in usu venereorum, extra legitimi conjugii usum, patebit e dicendis de sexto Decalogi praecepto; idem de conjugatis habes Vol. II. n. 543 seqq.

In genere adversantur temperantiae *stupor* et *intemperantia*. Stupor, rarum utique vitium, in eo est quod quis nolit uti delectationibus tactus et gustus quando recta ratio id postulat. Adverte hoc vitio immunem esse qui hujusmodi delectationes fugiat ob aliquam justam causam, puta ad poenitentiam agendam. Intemperantia, qua nihil frequentius, est excessus in iisdem delectationibus concupiscendis vel fruendis.

Habet autem temperantia sub se plures virtutes, alias tamquam partes subjectivas, alias tamquam partes potentiales: de singulis breviter dicemus.